mini in Euangelijs nominari,ut ibi:Ecce mater eius & fratres eius ſtabant foris,quęrentes lo c
qui cum eo.Et alibi:Poſt hæc deſcendit Capharnaũ,ipſe & mater eius,& fratres eius. Et ibi:
Dixerũt ergo fratres eius ad eum:Tranſi hinc, & uade in Iudæam,ut & diſcipuli tui uideant
opera tua quæ facis.Nemo enim aliquid in occulto faciens,quærit ipſe in palàm eſſe. Si hæc
facis,manifeſta teipſum mundo. Ioanne deſuper inferente: Neq; enim fratres eius tunc cre-
debant in eum.Item Marcus & Matthæus:Et docebat eos in ſynagoga eorum in patria ſua,
ita ut ſtuperent,& dicerent: Vnde huic omnis hæc ſapientia & uirtutes? Nõne hic eſt fabri fi
lius? nõne mater eius dicitur Maria, & fratres eius Iacobus & Ioſeph, & Simon & Iudas, &
ſorores eius omnes apud nos ſunt? Lucas quoq; in actibus apoſtolorũ ita refert: Hi omnes
erãt inſtantes unanimes in oratione cum mulieribus & Maria matre Ieſu,& fratribus ipſius.
Necnon & Paulus apoſtolus in eadem hiſtoriæ ueritate pari uoce cõcordat: Aſcendi autem
ſecundum reuelationem,& neminẽ uidi niſi Petrum & Iacobum fratrem domini.Et rurſum
in alio loco:Nunquid nõ habemus poteſtatem manducandi & bibendi? Nunquid non ha-
bemus poteſtatẽ uxores circunducendi ſicut & cæteri apoſtoli & fratres domini,& Cephas?
Et ne fortè aliquis Iudæorum teſtimoniũ non admitteret, qui etiã nomina fratrum illius ædi
derunt,ſimili eos aſſerens in fratribus errore deceptos,quo in patre æſtimando ſunt lapſi,ar
gute præcauit, & ait: Hæc eadem uocabula ab euangeliſtis in alio loco nominari,& eoſdem
eſſe fratres domini filios Mariæ.Matthæus loquitur:Erant autem ibi & mulieres (haud du-
bium quin ante crucem domini) multæ à longe ſpectantes,quæ ſequutæ fuerãt Ieſum à Ga
lilæa,miniſtrantes illi.Inter quas erant Maria Magdalene, & Maria Iacobi & Ioſeph mater,
& mater filiorum Zebedæi.Item Marcus: Erant autem & mulieres à longe aſpicientes,inter
quas erãt Maria Magdalene,& Maria Iacobi minoris & Ioſeph mater,& Salome:ibiq; poſt
modicum:Et aliæ multæ, quæ aſcenderant cum eo in Hieruſalem.Necnõ & Lucas:Erant au
tem Maria Magdalene & Iohãna,& Maria Iacobi,& cæteræ cum eis.Hæc ideirco replicaui-
mus,ne calumnietur & clamitet,ea quæ pro ſe faciant,à nobis eſſe ſubtracta:& ſententiã ſuam d
nõ teſtimonijs ſcripturarũ,ſed lubrica diſputatione cõuulſam:Ecce,inquit,Iacobus & Ioſeph
filij Mariæ,quos Iudæi fratres appellauerũt.Ecce Maria Iacobi minoris & Ioſetis mater.Mi
noris autem Iacobi,ad diſtinctionẽ maioris,qui erat filius Zebedęi,ſicut & in alio loco Mar
cus ponit.Maria autẽ Magdalene,& Maria Iacobi & Ioſetis,uiderunt ubi poneretur,& tran
ſacto ſabbato, emerunt aromata, & uenerunt ad monumentũ.Et utiq; ait: Quàm miſerum
erit & impium de Maria hoc ſentire, ut cum aliæ fœminæ curam ſepulturæ Ieſu habuerint,
matrem eius dicamus abſentem: aut alterã eſſe Mariam,neſcio quã, cõfingamus: præſertim
cum euangeliũ Ioãnis teſtetur præſentem eam illic fuiſſe,quando illã de cruce dominus iam
uiduam,ut matrem Ioanni cõmendabat.Aut nunquid euangeliſtæ & falluntur & fallunt, ut
eorum Mariam matrem dicerent,quos Iudæi fratres Ieſu eſſe dixerunt? O furor cæcus,& in
propriũ exitium mens ueſana.Dicis ad crucem domini matrẽ eius ſuiſſe præſentẽ:dicis Ioan
ni diſcipulo ob uiduitatẽ & ſolitudinem cõmendatam,quaſi iuxta te nõ haberet quatuor fi-
lios,& innumeras filias,quarũ conſortio frueretur. Viduam quoq; nominas,quod ſcriptura
nõ loquitur. Et cum omnia euangeliſtarũ exempla proponas,ſolius tibi Ioannis uerba non
placent.Dicis tranſitorie ad crucẽ domini eam fuiſſe præſentẽ,ne cõſulto præteriſſe uidearis:
& tamen quæ cũ illa mulieres fuerint,ſiles.Ignoſcerẽ neſcienti,niſi uiderem cõſulto reticentẽ.
Audi itaq; Ioãnes quid dicat:Stabant aũt iuxta crucẽ domini mater eius,& ſoror matris eius
Maria Cleophæ,& Maria Magdalene.Nulli dubiũ eſt, duos fuiſſe apoſtolos Iacobi uoca-
bulo nuncupatos,Iacobũ Zebedæi,& Iacobũ Alphęi.Iſtum neſcio quem minorẽ Iacobum,
quem Mariæ filium, nec tamen matris domini ſcriptura cõmemorat,apoſtolum uis eſſe, an
non? Si Apoſtolus eſt,Alphæi filius erit, & credidit in Ieſum,& non erit de illis fratribus,de
quibus ſcriptum eſt: Neq; enim tunc fratres eius credebant in eum.Si non eſt apoſtolus,ſed
tertius neſcio quis Iacobus,quomodo eſt frater domini putãdus:& quomodo tertius ad di-
ſtinctionem maioris appellabitur minor, cum maior & minor non inter tres,ſed inter duos

ſoleant

(c) Comunidad Autónoma de La Rioja